OBSERVATIONES CRITICAE
IN CORNELIVM TACITVM.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

ALMA VNIVERSITATE LITTERARVM FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

ET VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XII. MENSIS MARTII ANNI MDCCCLXVI

PVBLICE DEFENDET

FRIDERICVS THOMAE

MOENO-FRANCOFVRTANVS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

FERDINANDVS GVMPERT.
FRIDERICVS KLATTENHOFF.
ALBERTVS KOPFERMANN.

BONNAE

TYPIS EXPRESSIT PETRVS NEVSSER.

MDCCCLXVI.

OPTIMO PATRI

VIRO INTEGERRIMO

PIVS GRATVSQVE

FILII

ANIMVS

Philologia est eadem atque historia: nam in praeteritorum temporum memoria utraque versatur disciplina et talia, qualia vere fuerint illa, ad veritatem et investigandi et describendi munus sibi sumpsit historia, sumpsit philologia. Atque philologia quae dicitur classica quidem duo sibi habet fontium genera: I. monumenta illa inde ex antiquitate ad nostram aetatem perlata, II. libros Graecorum et Romanorum scriptos. Viris litteris deditis igitur illa utrum vere antiqua an supposita sint perscrutanda et ad leges artesque philologicis studiis proprias enarranda sunt, hi vero potissimum ea forma edendi, qua ab ipsis scriptoribus confecti, qua ab ipsis eorum aequalibus lecti fuisse censendi sunt. Id autem non facile esse perfectu vel non peritus haud negaverit: nam praeter hoc, quod ipsa scriptorum exempla non ad nostram memoriam pervenerint, libri temporum iniuria non parva incommoda acceperunt et multum rescripti librariorum neglegentia et ignorantia inde ab antiquissimis temporibus mendis cuiuscunque generis locis innumerabilibus repleti et depravati sunt: illa ergo menda emendare inter summa haud dubie esse debet philologorum munera et summi certe quisque qui fuerunt philologi in hanc disciplinae partem a tot tantisque tantopere neglectam, despectam, opprobriis oneratam non minime incubuerunt. Multos locos singulari doctissimorum virorum sagacitate recte emendatos esse constat; multi emendandi iam restant. Itaque opportunitate oblata operae pretium mihi visum

est Cornelii Taciti locos nonnullos tractare, quos ad veras formas suas adhuc restituendos esse ratus sum. Atque eas emendationes in publicum edendas delegimus, quae, quamquam non nonum premebantur in annum, attamen rursus scriptorem legentibus et longiore temporis spatio intermisso ad eundem reversis rursus nobis ipsis probatae sunt. Inter scribendi commentarioli negotium editiones Taciti mihi praesto fuerunt hae: omnium operum Halmiana (Lips. vol. I. a. 1865, vol. II. a. 1863) et Ritteriana (Lips. a. 1864), historiarum ll. I. et II. Heraeiana (Lips. a. 1864), ab excessu Divi Augusti librorum Nipperdeyana (Berol. vol. I. ed. IV. a. 1864, vol. II. ed. II. a. 1857) — singulorum librorum, quantum novi, novissima quaeque exempla. Praeterea non omisi editiones adire, quas Bipontini, Ernesti, Haasius, Orellius et Baiterus, Rupertius curaverunt. Ubi autem ipsa Taciti verba allaturus inter libros illos unum sequi coactus eram, Halmiana editione usus sum, quippe quae prae ceteris plurime in philologorum manibus inveniatur.

Coniecturarum, quod artis in philologia vocabulum est, latum in omnibus paene ad unum scriptoribus antiquitatis emendandis est spatium, latissimum in emendando Tacito, quippe qui prae ceteris omnibus omnium vitiorum generibus corruptus ac vexatus sit. Et certe inde eo ex tempore, quo luci Tacitus redditus est, usque ad hanc nostram aetatem in eo negotio tot viri docti tanta acuta cum diligentia elaborarunt et studiis suis Tacito lucem reddere conati sunt, ut vix unus versus coniecturis eorum illacessitus atque intactus remanserit. Prae ceteris autem posissimum, ut ea, quae scriptor vere scripserit, coniectura assequantur, viri docti lectionibus atque etiam litterarum ductibus, quales exstant in libris scriptis, utuntur. Neque sane improbandum id est; ne hoc quidem, quod quis, ut coniecturam suam probabilem reddat, similitudinem lectionis in libris scriptis servatae auctoritatis loco significet imploretque. Improbandum autem est, si quis ea in re fines sana ratione atque probabilitate positos egreditur: quamquam enim haud raro originem vitiorum bene intellegimus vel potius adeo perspectam habemus, ut (quos inter praestantissima emendandorum scriptorum numeramus praesidia) de generibus vitiorum in codicibus inventorum libros viri docti confecerint: omnibus tamen ad unum locis et origo et progressus a rescriptoribus peccatorum accurate dici non potest; si vero quis facere conetur, eadem fiat necesse est probalilitate ac fide qua quis futura praenuntiaverit.

Satis habeamus, ubi illud usu venit, plura exempla afferre locorum et isdem vitiorum causis corruptorum et similiter emendatorum. Atque ipse quidem ea elegi, quae nondum ab aliis collecta propria a me commentariorum criticorum potissimum Halmianorum cum vulgata lectione collatione instituta ipse repperi. Neque vero, ut coniectura probetur, sufficit hoc, quod similitudo quaedam intercedat inter lectionem librorum scriptorum et novam a nobis propositam. Duo iam accedant opus est: primum, ut nova, quam in verba scriptoris inferimus, sententia pro strictis logices ac dialectices legibus undique perpensa consilio leci prorsus respondeat, tum vero, ne vocabula sola per se considerata neque naturae linguae in qua versamur universae neque proprio scriptoris quem tractamus ingenio obstent. Haec tria si congruant, nostra erit laus recte coniecisse et, quod idem valet, rectas coniecturas proposuisse: nam coniecturae a coniciendo nomen.

Tractabuntur hi loci: Ann. l. I. c. 8, c. 68, l. III. c. 38, l. XI. c. 23, Hist. l. II. c. 14, Germ. c. 38: quibus in tractandis eam persecuti sumus rationem, ut eas, quae de illis locis propositae sunt, coniecturas, quantum potuimus, omnes congesserimus, sed multis et verbosis cum eis, qui ante nos de eis scripserunt, concertandi opera omissa optimum refellendi modum habuerimus, ut alia atque vera, spero, coniectura proferatur expositis argumentis, quae et exponenda erant et inveniri poterant.

Ann. l. I. c. 8.

De eis narratur, quae Romae acta sunt, cum Caesar Augustus Nolae diem supremum obiisset; quo contextu sic est in libro Mediceo:

tum. consultatum de honoribus; ex quis maxime insignes visi ut porta triumphali duceretur funus, Gallus Asinius, ut legum latarum tituli, victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur, L. Arruntius censuere

— et ita plurimi editorum, quorum tamen Halmius et Ritterus Bezzenbergerum[1]) secuti receperunt *ex quis qui maxime insignes visi*, quamquam Halmius *ex quis maxime insignes qui visi* malle sese adiecit; Nipperdeyus autem Wopkensio[2]) auctore usus vocabulum *visi* uncis seclusit. Georgius Henricus Walther[3]) proposuit *ex quis maxime insignes iussi*, Heraeus[4]) *ex quis maxime insignes hi visi*, Henricus Woelffel[5]) *vice* pro vocabulo *visi*, cuius tamen lectionis sententiam mihi quidem haud satis perspicuam esse non nego. Sed alia prorsus emendandi via ineunda est. Et constat ex accuratis, quas ea de re Aemilius Hübner[6]) instituit, quaestionibus ex actis senatus (Tacitus in Ann. XV. 74, 11 *reperio in commentariis senatus* ipse ea fontem nominat) „sive a Tacito ipso sive ab eius auctoribus"[7]) procul dubio ea petita esse, quae in Ann. l. I. c. 8 de honoribus defuncto Augusto habendis tractata leguntur[7]). Ex uno eodemque

---

[1]) v. commentarios criticos Halmianum et Ritterianum ad h. l.

[2]) v. ed. Nipperd. vol. I. p. 358 ad h. l.

[3]) Observationum in Cornelii Taciti opera specimen alterum. Halis Saxonum 1827 p. 5.

[4]) Studd. critt. I. p. 174.

[5]) Emendationes in Cornelii Taciti libros. Norimbergae 1856. p. 8.

[6]) De senatus populique Romani actis; inest in *Jahrbücher für classische philologie, herausgegeben von Alfred Fleckeisen. Dritter Supplementband. Leipzig 1857—1860*, p. 557—632.

[7]) v. Hübnerum l. c. p. 571.

fonte haec sumpta esse liquet[1]), quae apud Suetonium in vita Divi Augusti c. 100 eadem de re leguntur: „senatus et in funere ornando et in memoria honoranda eo studii certatim progressus est, ut inter alia complura censuerint quidam, funus triumphali porta ducendum e. q. s.“ Quo Suetonii loco usus verba Taciti illa sic emendo:

> *tum consultatum de honoribus et* **ut** *quis maxime insign***is**, *nisi, ut porta triumphali duceretur funus. Gallus Asinius, ut legum latarum tituli, victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur, L. Arruntius censuere.*

Ut quis solenne Tacitino dicendi generi est[2]); invenitur sequentibus gradibus superlativo et positivo etiam Ann. XV, 73, 8 *in senatu cunctis, ut cuique plurimum maeroris, in adulationem demissis, Iunium Gallionem — increpuit Salienus Clemens*, sequentibus gradibus comparativo et positivo Ann. IV, 36, 13 *ut quis destrictior accusator, velut sacrosanctus erat*, sequentibus gradibus positivo et comparativo Ann. IV, 23, 11 *ut quis fortuna inops, moribus turbidus, promptius ruebant*, sequentibus bis gradibus positivis Ann. II, 83, 1 *honores, ut quis amore in Germanicum aut ingenio validus, reperti decretique.* De adiectivo priore in numero singulari, de verbo autem finito quod dicitur in numero plurali posito cf. praeter Ann. IV, 23, 11 et II, 83, 1, locos modo exscriptos, etiam Ann. II, 73, 16 *ut quis misericordia in Germanicum et praesumpta suspitione aut favore in Pisonem pronior, diversi interpretabantur* et Ann. II. 24, 17 *ut quis ex lon-*

[1]) v. Hübnerum l. c. p. 572 in.
[2]) v. Bötticheri Lex. Tacit. p. LIII et s. v. *Ut.* 2.

ginquo r e v e n e r a t, miracula n a r r a b a n t. Hoc usu motus emendavi *insignis* pro lectione libri Medicei *insign e s. Insignis* adiectivum de hominibus absolute dictum haud raro apud Tacitum invenitur: Hist. III, 69, 20 *feminae, inter quas maxime insignis Verulana Gratilia,* Hist. III, 73, 11 *pauci militarium virorum, inter quos maxime insignes Cornelius Martialis, Aemilius Pacensis, Casperius Niger, Didius Scaeva, pugnam ausi obtruncantur,* Ann. IV, 61, 1 *fine anni excessere insignes viri Asinius Agrippa — et Q. Haterius,* Ann. IV, 34, 17 *saepe ut insignis viros nominat,* Ann. IV, 73, 21 *quamquam multi tribunorum praefectorumque et insignes centuriones cecidissent,* Ann. XI, 5, 5 *Samius, insignis eques Romanus,* v. praeterea hoc in oratione imperatoris Claudii de iure honorum Gallis concedendo habita[1]) *Tot ecce insignes iuvenes, quot intueor.* De litteris *v* et *n* a rescriptoribus libri Medicei inter se mutatis confero Hist. I, 62, 14: *levi meatu* habet Med., *leni meatu* em. Acidalius. Locus Dionis Cassii quo de eadem atque apud Tacitum et Suetonium re agitur (l. LVI c. 42) *καὶ πρότερον ἀράμενοι διὰ τῶν ἐπινικίων πυλῶν κατὰ τὰ ἐν τῇ βουλῇ δόξαντα διεκόμισαν* ad emendandum Tacitum nihil est praesidii.

Ann. l. I. c. 68.

In Ann. l. I. c. 68, ubi de Germanis castra Romanorum vi adortis narratur, in libro Mediceo haec leguntur:

> *igitur orta die proruunt foss os iniciunt crates, summa valli prensant, raro super milite et quasi ab metum defixo.*

[1]) utor exemplo, quod typis est expressum apud Nipperd. in ed. Tac. vol. II. Locus ibi est p. 280 v. 23.

Ultimae vocabuli *fossos* syllabae ab altera manu littera *a* superscripta est: *fossos*.[1]) Et movit ea conectura editores, ut verba illa sic dederint: *igitur orta die proruunt fossas, iniciunt crates, summa valli prensant,* quod quidem Boetticher[2]) per praegnantiam dictum esse explicat tantumque valere vult quantum „terram proruunt in fossas easque ita explent". Nec dissimiliter Nipperdey[3]): „*proruunt fossas.* Sie stürzten die wände der gräben nach vorne, so dass sich diese dadurch füllten. da nun die wände den graben bilden und er ohne sie nicht vorhanden ist, so kann, was mit ihnen geschieht, vom ganzen graben ausgesagt werden. wir sagen *sie stürzten die gräben ein.*" At primum quidem non recte actum est, ut ea, quae propriae ingenii nostri cogitandi, propriae sermonis nostri dicendi rationi repugnant, torta notionum deductione usi in latinum sermonem inferamus, cuius quidem scriptores, ut cogitare discant, cum minoribus natu legere solemus: neminem enim optimorum scriptorum Germanorum vocabulo *einstürzen* aut transitive aut intransitive de fossis dixisse probabile est. Tum vero ipse Tacitus verbum *proruendi* de eis tantum usurpat, quae aut ex ipsa terra prominent aut certe supra eam cernuntur: transitive Ann. II, 17, 22 *prorutae arbores,* Ann. XII, 43, 2 *crebris terrae motibus prorutae domus,* Ann. XIV, 61, 2 *effigies Poppaeae proruunt, Octaviae imagines gestant humeris,* Ann. XV, 40, 2 *prorutis per inmensum aedificiis,* Hist. I, 86, 10 *proruto ponte sublicio,* cf. Caes. B. G. III, 26, 2 *celeriter ad eas, quas*

---

[1]) v. Ritteri ed. p. 41.
[2]) v. lex. Tac. praef. p. LXXVI.
[3]) in ed. ad h. l.

diximus, *munitiones pervenerunt atque his porutis* — *in hostium castris constiterunt* Caes. B. C. III, 68, 3 *prorutis munitionibus, defendente nullo transcenderunt*, Liv. IX, 14, 9 (quo loco utitur Nipperdeyus[1])) *cum pars fossas explerent, pars vellerent vallum atque in fossas proruerent*, Liv. XXVI, 13 extr. *Albam, unde ipsi oriundi erant, a fundamentis proruerunt*, itaque de hominibus Tac. Hist. III, 23, 7 *magnitudine eximia quintae decumae legionis ballista ingentibus saxis hostilem aciem proruebat;* intransitive Ann. XV, 22, 8 *motu terrae celebre Campaniae oppidum Pompei magna ex parte proruit.* Illa igitur scriptura haud probanda est; ne haec quidem, quam Turnebus[2]) Freinshemius[2]) et alii post eos[2]) proposuerunt: *orta die proruunt, fossis iniciunt crates*, propterea quod verbum *proruendi* ea qua illi viri docti voluerunt sententia cum apud alios scriptores admodum raro et dubiis maximam partem insuper lectionibus tum apud Tacitum nusquam usurpatum invenitur. Ioannis Friederici Gronovii[3]) autem emendatio *obruunt fossas, iniciunt crates* nimium distat a scriptura libri Medicei quam quae accipi possit. Hoc potius modo a Tacito scriptum fuisse conicio:

*igitur orta die pro***rumpunt**, *fossi***s** *iniciunt crates e. q. s.*

De scriptura *fossis* comparaverim hoc Medicei (in Ann. IV, 73, 5): *soluto iam castello* [*castelli* em. Rhenanus] *obsidio*[4]); de verbo *prorumpendi* Hist. IV, 34, 25

---

[1]) at apud ipsum mendo typographi est XI, 14, 9.
[2]) v. ed. Rupertianam vol. I. p. 118.
[3]) legi apud Drakenborchium ad Liv. IV, 29, 3.
[4]) v. quae disputavit et collegit ea de re Ritterus praef. p. XXXI med.

illi cuncta e muris cernentes omnibus portis prorumpunt, cf. Verg. Aen. X, 379 *Haec ait et medius densos prorumpit in hostes;* de illo *fossis iniciunt crates* Ann. IV, 51, 3 *virgultis et cratibus et corporibus exanimis complere fossas*, cf. Caes. B. G. VII, 86, 5 *aggere et cratibus fossas explent*, ibd. VII, 58, 1 *cratibus atque aggere paludem explere*, ibd. VII, 79, 4 *fossam cratibus integunt atque aggere explent*, Frontin. Strateg. I, 5, 5 *Cn. Pompeius Brundisii vias intercidit fossis easque operuit cratibus.* Inicere denique apud Tacitum est loco et omisso et adiuncto: v. Ann. XIII, 57, 21 *flammis propius suggressi ictu fustium aliisque verberibus ut feras absterrebant: postremo tegmina corpori derepta iniciunt* et Ann. XV, 16, 2 *ut horreis ignem inicerent*, Hist. IV, 60, 17 *direptis castris faces iniciunt.*

Ann. l. III. c. 38 extr.

Editiones quot contuli librum Mediceum secutae omnes sic habent:

urbemque Philippopolim, a Macedone Philippo s i t a m, circumsidunt.

Nescio, nonne scribendum sit:

urbemque Philippopolim, a Macedone Philippo **positam**, *circumsidunt.*

Non ignoro etiam quattuor locos de vocabulo *situm* verbali cum natura a Tacito usurpato comparatos esse[1]. Sed omnibus ad unum illis locis conditorum nomina a scriptore omissa sunt, ut natura vocabuli illius inter adiectivum et participium eodem usu, quo graece κείμενος haud raro dicitur, media iam interesse videatur: Hist. III,

[1]) v. Boetticherum in Lex. Tac. s. v. *Situs.*

72, 17 de Capitolio *isdem rursus vestigiis situm est;* Ann. II, 7, 9 *veterem aram Druso sitam disiecerant*, interpretandum *dem andenken des Drusus*, cf. Nipperdeyi adnotationem *Druso: den dîs Manibus desselben;* Hist. IV, 22, 16 *spem obpugnantium augebat amplitudo valli, quod duabus legionibus situm vix quinque milia armatorum Romanorum tuebantur*, interpretandum *für zwei legionen angelegt* vel *auf zwei legionen berechnet;* Ann. VI, 47 (al. 41), 11 *ceteras urbes, quae Macedonibus sitae Graeca vocabula usurpant*, interpretandum *für die Macedonier angelegt* vel *im interesse der Macedonier angelegt* vel optime denique *nur im interesse der Macedonier angelegt.* Vocabulum *Macedonibus* enim eo loco dativo casu dictum intellegendum esse constat: nam si ablativum esse Tacitus voluisset, *a Macedonibus* ut Ann. III, 38, 20 *a Macedone Philippo* — sin, id quod tamen haud probabile est, populi nomen pro nomine terrae dicere voluit *in Macedonibus* haud dubie scribendum erat ut dicitur *in Aequis habitare*, *in Sabinis hiemare*, *in Bruttios ire*, *ex Sequanis exercitum educere*[1]). Itaque conicio illo de quo agimus loco syllabam *po* verbi *positam* vocabulis praecedentibus „philippo polim" (ita enim est in libro Mediceo[2])) et hoc quod proxime antecedit *Philippo* exhaustam periisse. Unum idemque vitium in his libri Medicei inveni: Ann. XIV, 18, 12 *concedere scripsit* habet Med. *concedere rescripsit* em. Haasius; Ann. XII, 41, 14 *fide* $\overset{d}{\textit{pellitur}}$ Med., *fide depellitur*

---

[1]) exempla sunt Madvigii in Gr. L. § 192. adn. 2. ed. Germ. III, a. 1857.

[2]) v. collationes Baiteri (eumve secuti Nipperdeyi) et Ritteri in edd.

editiones; Ann. XII, 68, 5 *dolore victa* Med., *dolore evicta* Heinsius. Quibus similia sunt haec: Ann XIII, 14, 15 *indebilis* habet Med., *inde debilis* em. Lipsius; Ann. III, 71, 12 *incessisset ut* Med., *incessisset et ut* Halmius; Ann. III, 24, 11 *tendi* Med., *tetendi* Ernesti; Ann. III, 62, 14 *tribus delubris* Med., *tribus de delubris* em. Bezzenberger. Nunquam certe emendationem illam neque excogitaturus fuissem neque in publicum prolaturus, si ordo vocabulorum in libro scripto hic traditus esset *a Philippo Macedone sitam:* nihil aliud nisi is qui nunc est vocabulorum ordo ut cogitarem de ea effecit, quam veram esse usu qualis apud Tacitum est vocabuli *situs* accuratius observato valde firmatur.

Ann. l. XI. c. 23.

De contentione Tacitus dicit in senatu exorta, cum primores Galliae Comatae iam ante illud, quo versatur res tempore, civitatem Romanam assecuti etiam ius adipiscendorum in urbe honorum expetivissent. Tunc igitur praeter alia hoc quoque, ut ipsius libri Medicei scripturam sequamur, contra dicta esse narrat:

> *an parum quod Veneti et Iusubres curiam inruperint, nisi coetus alienigenarum velut captivitas inferatur?*

Ea in scriptura editores plerumque acquieverunt et eos secutus etiam Monfalconus[1]) in libro de aënea, cui oratio Claudii imperatoris incisa est, tabula Lugduni servata edito, ubi locum, de quo agimus, patrio ipsius sermone sic interpretatus est[2]): „et faut-il donc y intro-

---

[1]) Monographie de la table de Claude par I.-B. Monfalcon. ed. I. Lugd. a. 1851 p. 18 adn. 1. ed. II. Paris. a. 1853 p. 29 adn. 1.

[2]) l. c. ed. I. p. 18. ed. II. p. 29.

duire encore, comme dans une ville captive, un ramas d'étrangers?" Nonnulli tamen sanam non inesse in verbis illis sententiam arbitrati emendationes proposuerunt; quarum cognovi hasce: *captae civitati* scribi voluit Heinsius[1]), *captivis* Ludovicus Urlichs[2]), *capta sit civitas* Haasius[3]), *captivi invitus* Heinischius[4]), *captivitate* Iulius Baumann[5]), *an parum quod Veneti et Insubres curiam inruperint? si coetus alienigenarum velut captae civitati inferatur, quem ultra honorem — senator, fore* Gustavus Krueger[6]), *velut adoptivus inseratur* Hieronymus Schneeberger[7]). At altius repetendum et hoc genus vitiorum statuendum esse conicio, quo factum est, ut complura verba in unum contracta sint alius cuiusdam verbi haud raro obvii speciem prae se ferens; exempla sufficiant haec tria: Ann. II, 54, 8 *alio* habet Med.: *adito Ilio* em. I. Sev. Vater, Ann. XIII, 14, 15 *indebilis* Med.: *inde debilis* em. Lipsius, Hist. I, 52, 10 *imperandi* Med.: *imperi dandi* em. Nipperdey. Eam igitur viam ingressus sic emendo:

> *an parum quod Veneti et Insubres curiam inruperint, nisi coetus alienigenarum velut* **capto toto capite vi ita sibi** *inferatur?*

— pulcre inter se oppositis curia quasi una totius urbis domo et toto capite, id est ipsa tota urbe Roma.

---

1) v. commentarium criticum Halmianum ad. h. l.
2) Rhein. Mus. VI (1848) p. 637.
3) in ed. vol. I. p. 191.
4) De nonnullis Taciti locis disputatio. Glatz 1859. p. 9.
5) Neue jahrbücher für philologie und paedagogik. v. 83 (1861) p. 615.
6) ibd. v. 85 (1862) p. 111 sqq.
7) Eos I (1864) p. 155 sq.

Hist. l. II. c. 14.

In Hist. l. II. c. 14, ubi de contentione Othonianorum et Vitellianorum narratur, haec habet codex Mediceus:

> *duodecim equitum turmae et lecti e cohortibus adversum hostem iere, quibus adiuncta Ligurum cohors, vetus loci auxilium, et quingenti Pannonii, nondum sub signis, nec mora proelio sed acie ita instructa, ut pars classicorum mixtis paganis in colles mari propinquos exsurgeret, quantum inter colles ac litus aequi loci praetorianus miles expleret, in ipso mari ut adnexa classis et pugnae parata conversa et minaci fronte praetenderetur: Vitelliani, quibus minor peditum vis, in equite robur, Alpinos proximis iugis, cohortes densis ordinibus post equitem locant.*

Mendum inesse in verbis illis *sed acie ita instructa* Halmius Heraeus Ritterus consentiunt, at in emendando eo diversa ratione usi: atque Halmius quidem in ipso contextu *sed* vocabulo uncis incluso legendum statuit *nec mora proelio, acie ita instructa;* cui lectioni in commentario critico hanc aliam ex coniectura adiecit *nec mora proeliost, acie ita instructa;* liberius Heraeus coniecit *nec mora proelio, a Suedio acie ita instructa*, vel[1]) *nec mora proelio, Suedi acie ita instructa;* Ritterus denique Rupertium secutus scripsit *nec mora proelio, sed acies ita instructa*, quam eandem lectionem Guilelmus Wagner, vir doctissimus, novissime proposuit[2]). Aliam quam idem

[1]) Kritischer anhang ad h. l.
[2]) Rhein. mus. XIX (1864) p. 478 sq.

Wagnerus commendavit restituendi huius loci viam[1]) (eam scilicet, ut omnibus sine ulla mutatione rententis post *praetenderetur* vocabulum haec fere excidisse existimaveris *Othonem hostem excipiunt* vel *expectant* vel similia) acuti potius ingenii documentum dedit, ipse minus lenem eam esse confessus.

Usus est hoc loco Tacitus dicendi ratione, quae cum apud alios inde ab Augusti Caesaris potissimum aetate poetas tum apud Virgilium invenitur, cuius poetae Tacitum admodum gnarum fuisse crebris in eius libris vestigiis ostendi inter peritos[2]) constat; *nec mora* illud dico. Quod apud ipsum Vergilium ita adhibitum est, ut adverbii loco positum dicatur, nulla particula interposita: Aen. V, 139 sq. *Inde, ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes Haud mora prosiluere suis*, cf. Ovid. Met. I, 717 *Nec mora falcato nutantem vulnerat ense*, Prop. V, 4, 84 *Nec mora vocales occupat ense canes.* Eodem usu Tacitus Ann. XIV, 57, 18 *ncc ultra mora: Sulla sexto die pervectis Massiliam percussoribus ante metum et rumorem interficitur, cum epulandi causa discumberet.* Aliis et plurimis locis eam quae sequitur sententiam coniunctionibus *quin* vel *quominus* usus cum prioribus *nec mora* Tacitus coniunxit, v. Hist. II, 31, 9 *nulla ultra penes Vitellianos mora, quin totis viribus certarent* et ibd. I, 59, 12 *nec in Raeticis copiis mora, quo minus statim adiungerentur: ne in Britannia quidem dubitatum.* At illas dicendi rationes non sine magna verborum, quae in codice scripta sunt, commutatione in locum illum de quo agimus inferre potueris. Itaque hoc potius modo locus ille videtur restituendus esse:

---

[1]) l. c. p. 479.

[2]) v. Haasii commentationem p. VII. p. LI adn. 319.

nec mora proelio: **et acies** *ita instructa, ut pars classicorum mixtis paganis in colles mari propinquos exsurgeret e. q. s.*

Cui emendandi rationi praesidio est hic eiusdem Taciti locus uno eodemque quo ille usu dictus: Ann. IV, 70, 4, *nec mora quin decerneretur: et trahebatur damnatus, quantum obducta veste et adstrictis faucibus niti poterat, clamitans, sic inchoari annum, has Seiano victimas cadere*, quocum haec conferri possunt: Ann. XV, 25, 6 *nec dubitatum de bello: et Corbulo militum atque hostium tot per annos gnarus gerendae rei praeficitur*, Ann. XII, 14, 10 *nec detrectavit pugnam Gotarzes deminutis hostibus ferox: concursumque magna clade et ambiguo eventu.* Vocabulum *et* coniunctioni *cum* haud dissimiliter adhibitum est, quocum usu haec apte contuleris: Hist. II, 95, 8 *nondum quartus a victoria mensis et libertus Vitellii Asiaticus Polyclitos Patrobios et vetera odiorum nomina aequabat*, Ann. XV, 40, 3 *necdum positus metus et rediit haud levius rursum grassatus ignis patulis magis urbis locis, eoque strages hominum minor*, Hist. II, 68, 17 *interim Verginii servus forte obvius ut percussor Vitellii insimulatur: et ruebat ad convivium miles mortem Verginii exposcens*, Ann. IV, 23, 4 *iam tres laureatae in urbe statuae et adhuc raptabat Africam Tacfarinas auctus Maurorum auxiliis;* cf. Virg. Aen. V, 857 sqq. *Vix primos inopina quies laxaverat artus Et super incumbens —— liquidas proiecit in undas Praecipitem*, Plin. epp. VI, 20 *Vix consederamus et nox non qualis in lunis aut nubilo, sed qualis in locis clausis lumine exstincto*, Xen. An. I, 8, 8 *ἤδη τε ἦν μέσον ἡμέρας καὶ οὔπω καταφανεῖς ἦσαν οἱ πολέμιοι.* *Sed* denique pro *et* scriptum etiam

his locis in Mediceo libro invenitur: Hist. V, 21, 13 *subitus consiliis set eventu clarus* [em. Heinsius], Ann. XIV, 55, 16 *nisi forte aut te Vitellio ter consuli aut me Claudio postponis, sed quantum Volusio longa parsimonia quaesivit, tantum in te mea liberalitas explere non potest* [em. Acidalius], Ann. XV, 58, 11 *nondum ab indicibus nominatus, sed quo fidem inscitiae pararet, atrox adversus socios* [em. Acidalius].

Germ. c. 38.

In Germ. c. 38 haec leguntur:

apud Suebos usque ad canitiem horrentem capillum retro sequuntur ac saepe in ipso vertice religatur.

Ita est in codice Perizoniano a Ioviano Pontano rescripto et reliquis, quantum cogniti sunt, omnibus exceptis Angelico[1]) atque Harleiano[1]), in quibus *sequentur*, et Vaticano littera *c* significato[1]), ubi *sequente* exstat. Scripturam mendo corruptam esse plerique viri docti consentiunt, sed in ipso emendando multum inter sese distant. Itaque longa coniecturarum series: *retro secernunt ac saepe in ipso vertice religant* est in editione Vittebergensi a. 1557 a Philippo Melanthone curata[2]), *retrosequus ac saepe — religant* emendari volt Scaliger[3]) *retrorsum ac saepe — religant* Theod. Marcilius[3]), *retro comantur* editor Bipontinus in adnotatione ad h. l., *retro serunt* Seebodius[3]),

---

[1]) v. Tagmann, De Taciti Germaniae apparatu critico. Vratislaviae 1847 p. 36.

[2]) Phil. Car. Hess, Variae lectiones et observationes in Taciti Germaniam. Part. II. Helmstadii a. 1828 p. 23.

[3]) v. Franciscum Passow in ed. Germaniae. Vratisl. 1817 ad h. l.

retro agunt Trossius[1]), *retrosum agunt* Hauptius[2]), *retrorsum agunt* Horkelius[3]), *recurvant* Lachmannus[2]), *retro rectum habent* Tagmannus[1]), *retro sibi plectunt* Ioannes Henricus Nolte[4]), *capillum retro ac saepe in ipso vertice religant* Haasius, *apud Suebos omnes usque ad canitiem horrentem retro crinem sequuntur* Ritterius[5]). Contra alii (velut Bipontini, Ernesti, Ruperti, Orellius) lectionem libris scriptis traditam retinuerunt et tanta in enarranda ea subtilitate atque acumine haud pauci versati sunt, ut animum valde dolere induxeris, quod tonsores non evaserint illi, ni philologiam capessivissent. Defenderunt eam Philippus Carolus Hess[6]), Greverus[7]), Baumstarkius[8]); B(eckerus) quidam[9]) supplet vocabulum *pectine*. Eorum qui alio consilio hoc loco usi sunt, etiam Ukertus[10]) et Iacobus Grimm[11]) ita eum

---

[1]) vide not. 1. pag. 17.

[2]) v. commentarium criticum Halmianum ad h. l.

[3]) Die geschichtschreiber der deutschen urzeit übersetzt von Dr. J. Horkel. Berlin 1849 p. 756 adn.

[4]) Quomodo permulti qui apud Tacitum leguntur loci sive emendandi sive explicandi sint. Amstel. 1851 p. 24.

[5]) de vocabulo *omnes* a se interposito dixit Ritterus in Mus. Rhen. v. XX (1865) p. 215, de vocabulo *capillum* omisso in *Jahrbücher des vereins von alterthumsfreunden im Rheinlande*, v. XXXVI (1864) p. 21 sq., de vocabulo *crinem* interposito in Mus. Rhen. v. c. p. 205 sq.

[6]) Variae lectionis et observationes in Taciti Germaniam. Part. I. Helmstadii 1827 p. 38.

[7]) Bemerkungen zu Tacitus' Germania. Oldenburg 1850, p. 54.

[8]) Eos I p. 61 sqq.

[9]) Neue kritische bibliothek für das schul- und unterrichtswesen (ed. Seebode) VII. 1825 I. p. 212 sq.

[10]) Germania. Weimar 1843 p. 347.

[11]) Deutsche rechtsalterthümer ed. II. Gott. 1854 p. 284.

dederunt ut in libris scriptis est. Wortbergius[1]) *horrentem retro capillum sequuntur* ut transponatur, proposuit. Halmius magnae crucis nota locum, de quo agimus, instruxit: *horrentem capillum † retro sequuntur.* Sententiam Horkelius[2]) sic interpretatus est: „Bezeichnend für den stamm der Sueven ist die sitte, das haar nach hinten überzustreichen und unten in einen knoten zusammenzubinden.“ Maxima et enarrandi et emendandi difficultas hac in re posita est, quia neque apud ipsum Tacitum neque apud alios scriptores temporis posterioris aut medii aevi (quorum nonnullis ad hoc in perlustrandis operam et oleum perdidi) quidquam huic loco simile dictum narratumve invenitur, quamquam de flavis vel rutilis Germanorum capillis scriptores et poetae multum certatim fabulati sunt. Mihi quidem haec emendandi ratio non displicuerit:

> *apud Suebos usque ad canitiem horrentem capillum* **retrorsum pectunt** *ac saepe in ipso vertice religatur*

— qua ratione aliam hanc etiam maluerim, quamquam liberius paulum eis, quae tradita sunt, mutatis:

> *apud Suebos usque ad canitiem horrent***e** *capill***o** **retrorsum pexo utuntur** *ac saepe in ipso vertice religatur.*

De sermone haud dissimile est hoc Lucani (Phars. IX, 652): *ipsique retrorsum Effusi faciem vitabant Gorgonos angues*, cf. Ovid. Met. I, 529 *Et levis inpulsos retro dabat aura capillos* et de *utendi* quidem verbo a nobis in altera emendandi ratione statuto cf. Caes. B. G.

---

[1]) E Taciti Germania loci octo. Gryphiae 1823 p. 8 sq.
[2]) l. c. p. 667.

VI, 24, 5 *nunc quod in eadem inopia, egestate patientiaque Germani permanent, eodem victu et cultu corporis utuntur* et Tac. Germ. c. 28, v. 11 *utrum Aravisci in Pannoniam ab Osis, Germanorum natione, an Osi ab Aravisci in Germaniam commigraverint, cum eodem adhuc sermone institutis moribus utantur, incertum est;* de sententia autem id quod de comptu capillorum priore tempore inter viros Athenienses usitato Thucydides l. I. c. 6 § 3 narravit: *οὐ πολὺς χρόνος ἐπειδὴ — ἐπαύσαντο — χρυσῶν τεττίγων ἐνέρσει κρωβύλον ἀναδούμενοι τῶν ἐν τῇ κεφαλῇ τριχῶν.* Ad verba quae de eisdem Suibis dicta paucis versibus antecedunt *insigne gentis obliquare crinem nodoque substringere* Iacobus Grimm[1]) hoc Martialis (Spect. l. 3, 9) contulit:

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.

Transpositiones, quae in scriptoribus ad veram suam formam restituendis nonnunquam adhibendae sunt, statui ratio est emendandi, quae priorum aetatum philologos, qui alia atque in medio magis posita tractarent, latens a recentioribus demum librorum veterum editoribus detecta magis magisque adhibita est. Sunt autem quattuor genera: transponuntur enim alio atque quem in libris scriptis habent in loco aut nihil nisi litterae quaedam aut pauca vocabula aut plurium verborum numerus sed ipsa inter se eum, qui in codicibus est, ordinem servantium aut integra denique capita. Ac plerumque quidem factum est, ut verba aut falso transposita insuper corrumperentur aut iam corrupta falso posita sint a librariis rescriptoribus, ut sana in verba

---

[1]) Geschichte der deutschen sprache (I) p. 522 sq.

sententia inferatur. Locos igitur transpositione vocabulorum emendantes plerumque etiam alia insuper emendandi ratione uti coacti sumus sive interpositis, quae non leguntur in libris scriptis, quibusdam sive paululum eis quae tradita sunt mutatis. Certum eorum quae in Taciti codicibus inveniuntur vitiorum genus statuisse transpositiones Doederlinius meritus est, qui idem exemplis probavit, quanti illae ad emendandum Tacitum praesidii sint[1]. Itaquae reliquis transpositionum generibus omissis eius, quod secundum enumeravimus, generis exempla tria proferemus.

Loci qui tractabuntur insunt in Ann. l. II, c. 9, l. IV, c. 11, Dial. c. 1.

Ann. l. II. c. 9.

De Arminio eiusque fratre Flavio hoc modo narratur:

> *flumen Visurgis Romanos Cheruscosque interfluebat. eius in ripa cum ceteris primoribus Arminius adstitit, quaesitoque an Caesar venisset, postquam adesse responsum est, ut liceret cum fratre conloqui oravit. erat is in exercitu cognomento Flavus, insignis fide et amisso per vulnus oculo paucis ante annis duce Tiberio.*

Ea verba haec subsequuntur in libro Mediceo:

> *t u m p e r m i s s u p r o g r e s s u s q u e s a l u t a t u r a b A r m i n i o*

Eum locum sic emendo:

> **et** *permiss***um**: *progressusque* **tum** *salutatur ab Arminio.*

---

[1]) primum in libro academico Erlangae a. 1838 edito *De Tacito transpositione verborum emendando*, tum in *Zeitschrift für die alterthumswissenschaft* 1840 p. 333 sq. p. 337 sqq. At vide Heraei Studd. I p. 13 sq.

Qua in emendandi ratione hisce locis comparatis nitor: Ann. IV, 15, 15 *et quia priore anno in C. Silanum vindicatum erat, decrevere Asiae urbes templum Tiberio matrique eius ac senatui: et permissum statuere; egitque Nero grates ea causa patribus atque avo*, Ann. XVI, 35, 1 *tum progressus in porticum illic a quaestore reperitur*, Hist. III, 12, 11 *tum progressus Lucilius auctorem se palam praebet.* Quod *permissum* pro scriptura libri Medicei *permissu* posuimus, vix mutationem quis appellaverit: littera *m* enim compendii nota *(permissu̅)* expressa[1]) cum in aliis libris scriptis tum in Mediceis Taciti codicibus inter transcribendum periit; cuius vitii exempla haud pauca apud Heraeum[2]) collecta sunt, quorum numerum etiam aliis nullo negotio auxeris. Optime vero cum usu Taciti *et* et *que* illa consentiunt cum vi quadam[3]) in orationis transitu apud eum dicta. Itaque verba illa ea quam supra dedi emendatione usus hoc modo interpreteris: *Und es wurde wirklich gestattet: nachdem er dann also vorgetreten war, wird er von Arminius begrüszt.*

Locus ille haud ita raro a viris doctis tractatus est, qua de re tamen pauca sufficiat dicere. Et primus quidem Beroaldus codicis lectione offensus scripsit *tum permissum progressusque salutatur ab Arminio*, qua in emendandi ratione haud pauci editorum (veluti Bipontini, Ernesti, Ruperti) acquieverunt; eandem Ritterus priore tempore defendit[4]). Novissimo tamen tempore Ritterus[5])

[1]) v. Ritteri praef. p. XXXV med.
[2]) v. Studd. critt. I p. 132 sqq.
[3]) v. Guilelmi Boetticheri lex. Tac. s. vv. *Et* et *Que.*
[4]) Philol. IV (1849) p. 698 sq.
[5]) primum in Mus. Rhen. v. XVII (1862) p. 105, tum in ed. Lips. a. 1864 p. 54, cf. praef. p. XXXVII med.

et Haasius et Baiterus et Halmius Nipperdeyum secuti ad scripturam codicis Medicei reversi inter vocabula *permissu* et *progressusque* lacunam statuerunt. Et Ritterus quidem vocabula *Caesaris deducitur* interposuit, Nipperdeyus autem haec fere excidisse censet[1]): *imperatoris deducitur a Stertinio.* Praeterea de loco illo disseruerunt Halmius[2]), Henricus Woelffel[3]), Sirkerus[4]): et emendat quidem Halmius *Oratum permissum*, Woelffelius *Erat is in exercitu — — paucis ante annis duce Tiberio, tum permissu* sc. „Germanici inter evocatos voluntarius commilito", Sirkerus denique *Igitur permissum progressusque salutatur ab Arminio.*

Ann. l. IV. c. 11.

De operis sui condicione Tacitus sic profert (ed. Halm.):

> *mihi tradendi arguendique rumoris causa fuit, ut claro sub exemplo falsas auditiones depellerem peteremque ab iis, quorum in manus cura nostra venerit,* **ne** *divulgata atque incredibilia avide accepta veris neque in miraculum corruptis antehabeant.*

Ea lectione liber Mediceus duabus his rebus discrepat: primum enim deest illud *ne* ante vocabulum *divulgata*, tum exhibet ille pro vocabulo *incredibilia* scripturam hanc littera *a* ab altera manu superscripta:

---

[1]) v. Nipperdeyi adn. ad h. l.

[2]) Beiträge zur kritik und erklärung der annalen des Tacitus. Speyer 1846 p. 5 sq.

[3]) Emendationes in Cornelii Taciti libros. Norimbergae a. 1856. p. 14 sq.

[4]) Animadversiones in Taciti Annales. Augustae Trev. a. 1860 p. 20.

incredibil$\overset{a}{i}$[1]). *ne* coniunctionem illo quo apud Halmium est loco Rhenanus primus addidit, ante vocem *avide* Ritterus posuit: *peteremque ab iis, quorum in manus cura nostra venerit, divulgata atque incredibilia ne avide accepta veris neque in miraculum corruptis antehabeant.* Liberius Haasius et Nipperdeyus hunc locum tractaverunt, quorum ille haud satis dilucide ita eum scripsit: *peteremque ab iis quorum in manus cura nostra venerit, divulgata aeque incredibilia ne avide accepta veris neque in miraculum corruptis antehabeant*, hic vero quod displicuit vocabulum uncis seclusit: *peteremque ab iis, quorum in manus cura nostra venerit, ne divulgata atque [incredibilia] avide accepta veris neque in miraculum corruptis antehabeant.* Primus, qua emendandi via hoc loco utendum sit, Guilelmus Oncken intellexit, qui separatim de eo disputavit et hanc lectionem proposuit[2]): *peteremque ab iis, quorum in manus cura nostra venerit, ne divulgata incredibilia atque avide accepta veris neque in miraculum corruptis antehabeant.* At transpositione etiam plura vocabula complexa opus est, ut locus ille ad eam formam redigatur, qua ab ipso Tacito scriptus esse censendus est. Itaque hanc lectionem propono:

> *peteremque ab iis, quorum in manus cura nostra venerit, incredibilia avide accepta atque divulgata* **ne** *veris neque in miraculum corruptis antehabeant.*

Ita si legitur, primum hoc observatum est, ut vocabulum *incredibilia* alio excipiatur a littera *a* incipiente, nam eam verborum illorum in libro a Mediceo librario

---

[1]) v. collationem libri Medicei Ritterianam in ed. p. 138.

[2]) Neue jahrbücher für philologie und paedagogik. vol. 87 (1863) p. 358 sq.

transcripto fuisse positionem apparet ex scriptura illa libri Medicei *incredibili*, cui altera demum manus litteram *a* superscripsit, tum vero vocula *ne* quomodo fieri potuerit ut in libro Mediceo omissa sit perspicitur, quippe quae proxime subsequentibus duobus vocabulis exhausta sit, quorum hoc *neque* a syllaba *ne* incipit, illud *veris* vel *ueris* a syllaba *ue*, quae in veteribus libris scriptis ductu litterarum paene eadem est atquae *ne*. De sententia quidem haec comparaverim: Ann. II, 82, 15 *statim credita, statim vulgata sunt: ut quisque obvius, quamvis leviter audita in alios atque illi in plures cumulata gaudio transferunt* et Hist. II, 28, 5 *quod ubi auditum volgatumque, maerere socii, fremere legiones.*

Dial. c. 1.

In Dialogi capite primo haec habent codices:

> *memoria et recordatione opus est, ut quae a praestantissimis viris et excogitata subtiliter et dicta graviter accepi, cum singuli diversas vel easdem sed probabiles causas adferrent, dum formam sui quisque et animi et ingenii redderent, isdem nunc numeris isdemque rationibus persequar, servato ordine disputationis*

— quam lectionem haud pauci editorum bene intellegi posse arbitrati retinuerunt; etiam Classenus, vir spectatissimus, nuper eam defendit[1]). Transpositione verborum hac *cum singuli diversas sed probabiles causas afferent vel easdem* Doederlinius[2]) restituisse locum sibi visus est.

[1]) Eos I p. 14.

[2]) primum in Mus. Rhen. edd. Niebuhr et Brandis v. III. (a. 1829) p. 16; tum repetiit in libro e munere academico Erlangae a. 1844 edito et *Emendationes Taciti* inscripto p. 6.

Aliam hanc transpositionem *cum singuli easdem vel diversas* Ioannes Henricus Nolte proposuit[1]), cum anno ante[2]) *vel easdem vel diversas, sed probabiles* legendum esse dixisset. Alii viri docti emendationes protulerunt: *diversas sed eas (vel easdem) valde probabiles* voluit Acidalius[3]), *diversas sed easdem probabiles* C. L. Roth[4]) (quem secutus est Ritterus), *cum singuli diversas vel easdem sibi probabiles* A. Th. Dryander[5]). Lipsius et Muretus eosque secutus Halmius vocabula *vel easdem* e contextu Tacitino delenda indicarunt. Orellius librorum scriptorum lectionem servatam cruce notavit: *cum singuli diversas † vel easdem sed probabiles causas afferent.* Transpositione verborum utendum esse recte Doederlinius sensit, sed non recte ipse transposuit; sic enim haud dubie transponendum est:

> *memoria et recordatione opus est, ut quae a praestantissimis viris et excogitata subtiliter et dicta graviter accepi, cum singuli* **vel diversas, sed easdem probabiles** *causas adferrent, dum formam sui quisque et animi et ingenii redderent, isdem nunc numeris isdemque rationibus persequar, servato ordine disputationis.*

---

[1]) Archiv für philologie (edd. Klotz et Dietsch) XVIII (1852) p. 627.

[2]) Quomodo permulti qui apud Tacitum leguntur loci sive emendandi sive explicandi sint. Amstel. 1851 p. 27.

[3]) v. commentarium criticum Halmianum ad h. l.

[4]) v. ibd. et Ritteri ed. p. 689.

[5]) Coniecturae in dialogum de oratoribus. Halis Saxonum 1851 p. 3; insunt in *Nachricht über das königliche paedagogium zu Halle, herausgegeben von Dr. H. A. Niemeyer. Sechszehnte fortsetzung. Halle 1851.*

vel in scriptura nostra eodem modo usurpatum est quo superlativis adiectivorum gradibus fere adiungitur, id quod eo magis hoc loco fieri potuit, quia adiectivum *diversus* inter ea est, quae etiam positivo gradu usurpata notionem quandam ac significationem superlativi gradus continent, ut Dial. 6, 26 *extemporalis audaciae atque ipsius temeritatis vel praecipua iucunditas est* dictum invenitur, quorum usu hoc conferendum Caes. B. G. VII, 37, 6 *cum se vel principes eius consilii fore profiterentur.* Illa subtili, ne dicam praegnante, quae in adiectivo *diversus* inest, de significatione Doederlinius[1]) sic disputavit: „die diversa wollen nichts mit einander gemein haben und gehen nach verschiedenen oder, besonders nach dem gebrauch des silbernen zeitalters, nach ganz verschiedenen richtungen aus einander" — et hi denique ipsius Taciti loci doceant: Dial. 25, 8 *ne illi quidem parti sermonis eius repugno, quo minus fatear plures formas dicendi etiam isdem saeculis, nedum diversis extitisse,* Ann. II, 35, 2 *ni pretium foret Cn. Pisonis et Asinii Galli super eo negotio diversas sententias noscere,* Ann. II, 73, 17 *ut quis misericordia in Germanicum et praesumpta suspitione aut favore in Pisonem pronior, diversi interpretabantur. Vel* eadem qua hoc loco significatione adiectivo in positivo gradu usurpato praepositum invenitur Agr. 3, 16 *non tamen pigebit vel incondita ac rudi voce memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum composuisse,* quocum loco alter hic conferatur Dial. 39, 1 *parvum et ridiculum fortasse videbitur quod dicturus sum, dicam tamen, vel ideo ut ridear.*

---

[1]) Lateinische synonyma. v. III. p. 273.

Si cui tamen haec non iam suffecerint, paucis mutatis *vel* **diversissimas,** *sed easdem probabiles* scripserit, quae superlativi gradus forma apud Tacitum velut Dial. 34, 16 *habebant ipsius populi diversissimarum aurium copiam* et Agr. 32, 4 *quem (exercitum) contractum ex diversissimis gentibus ut secundae res tenent, ita adversae dissolvent.* Vocabulorum *sed easdem probabiles* alterum hoc *easdem* ea sententia dictum est, quam Madvigius in Gr. L. § 488[1]) indicavit: *auch, zugleich.* Itaque locum illum sic interpretatus sim:

> „indem die einzelnen sogar geradezu entgegengesetzte, aber doch (wenn auch ganz entgegengesetzte, so doch) zugleich annehmbare gründe vorbrachten."

Lacunae quin in Taciti libris inesse statuendae sint neque priorum neque recentiorum editorum nemo dubitavit, sed nimis spatii in recensendis Taciti operibus tribuit eis Ritterus, qui in novissima quam curavit editione (a. 1864) lacunas inesse voluit in Historiis 161, in Annalibus 211, in Agricola 26, in Germania 12, in Dialogo denique 24[2]), quorum numerorum summa est 434; quae si statuatur, „ingens seges glossarum[3])" profecto in Taciti libros invecta esse vere dicatur. Argumento autem Ritterus utitur hoc[4]) potissimum, quod scribae librarii, cum primam litteram vocis alicuius scripserint, ad eandem litteram sequentis vocabuli vel

---

[1]) utor Germanica editione tertia a. 1857.
[2]) v. praef. p. XXXIII adn. 1.
[3]) verba sunt Ritteri; v. praef. p. XXXV extr.
[4]) v. praef. p. XXXII—XXXV.

sententiae oculis aberrantes improvidi delati sint. Quod argumentum quam sit lubricum, simplici demonstratur numerorum inita ratiocinatione: totus enim omnium quae apud Latinos sunt litterarum ordo summam complet viginti trium adnumeratis litteris duabus Graecis *y* et *z*, quae cum apud alios scriptores Latinos tum apud Tacitum rarissime occurrunt, quippe qui Graeca vocabula consulto fugiat, familiarem vulgaremve et levem et eruditionis ostentationem quandam prae se ferentem usum eorum arbitratus[1]; quarum viginti trium litterarum vocales, quae dicuntur, sunt sex, consonantes septendecim. Continet iam vero versus unusquisque editionis Ritterianae (a. 1864) litteras quadragenas senas, medio numero posito, adeo ut bis minimum singulas litteras redire necesse sit, si ea qua in discendis docendisque litteris utimur series instituitur. Redeunt autem revera, quae vocabulorum latinorum natura est, multo saepius: veluti redit in ed. Ritt. p. 225 vers. 27 littera *l* ter, ibd. v. 12 littera *t* sexies, ibd. v. 8 littera *s* septies, ibd. v. 12 littera *i* octies, ibd. v. 13 littera *a* novies cet. Liquet igitur quam fere totum paene sit nostrum illo argumento adhibito, quaecunque placent, inter verba Taciti interponere. In lacunis statuendis haec ratio ineunda esse mihi videtur, ut tunc modo statuantur, si scriptor omnia ea, quae dicere potuit, etiam dicere coactus fuit, ut sana insit in verbis sententia. Tacitus autem, quamquam genere dicendi utitur denso ac sibi semper instante et brevis esse laborat, non tamen

---

[1]) v. Nipperdeyum in ed. v. I p. XXXIII et Haasium v. I. p. LI sq.

ipse[1]) erat obscurus adeo, ut nescio quibus non interpositis intellegi non possit; si vero omnia, quae Tacitus dicere potuit, dixisse vere eum velis, multa certe addi necesse est. Itaque cum origo lacunarum saepe ne minime quidem perspici possit, attamen nonnunquam non est quod dubitemus, quin causa lacunae in rebus graphicis posita fuerit: tunc intellego, si vocabula parva maximam partem et unam continentia syllabam propter similitudinem proxime vel antecedentium vel sequentium evanuerint. Quodsi illud acciderit, eae, quae et sententiarum illo loco conexui et ingenio scriptoris optime respondeant, explendi condiciones accipiantur; sin hoc acciderit, constat causa illa cognita eum explendae lacunae conatum praemium esse laturum, qui vocabulum dat proxime ad similitudinem eorum, quae proxime vel antecedunt vel sequuntur, accedens. Qua sententia rationeque nisus alio modo atque quo fere fit quattuor explendas esse censeo lacunas extra dubium quin sint positas; insunt autem in Ann. l. II. c. 8, c. 33, l. XV, c. 36, in Hist. l. III, c. 83.

Ann. l. II. c. 8.

Inter locos multum corruptos, multum tractatos, nondum — credo — recte emendatos hic est ex Ann. l. II, c. 8 sumptus, qui in Mediceo libro sic[2]) exstat:

[1]) at certe, qui praeter proprii ingenii naturam genus scribendi Tacitinum imitati simulant; eam ad rem pertinent haec, quae de Klopstockio disputavit summus noster Goethe (v. editionem operum quae LX complectitur volumina, vol. XXV pag. 89): „Durch seinen wettstreit mit den alten, besonders dem Tacitus sieht sich Klopstock immer mehr ins enge genöthigt, wodurch er zuletzt unverständlich und ungenieszbar wird.“

[2]) v. collationes codicis Medicei Bekkerianam apud Nipperdeyum et Ritterianam in ed. Lips. a. 1864.

Classis a m i s s i a m relicta laevo a m n e erratumque in eo quod non subvexit t r a n s p o s u i t militem dextras in terras iturum; ita plures dies efficiendis pontibus absumpti.

Sic emendo:

Classis **Amisiae amnis** *relicta laevo* **ore** *erratumque in eo, quod non subvexit t r a n s* **que annem ex***p o s u i t militem dextras in terras iturum; ita plures dies efficiendis pontibus absumpti.*

— et sic interpretor:

die flotte wurde links an der mündung der Ems zurückgelassen und darin eben lag der fehler, dasz Germanicus die soldaten, die doch in die zur rechten gelegenen landschaften marschiren sollten, nicht weiter hinauffuhr und (nicht) auf dem jenseitigen (rechten) ufer ans land setzte; so gingen mehrere tage mit brückenschlagen verloren.

Ad defendendam autem illam meam emendationem haec aldo:

I) de vocabulis *Amisiae amnis: Amisiae* Beroaldus recte emendavit. *amnis* vocabulum ego addidi ex usu Taciti; v. Ann. I, 60, 14 *quantum Amisiam et Lupiam a m n e s inter, vastatum,* Ann. II, 8, 6 *ad Amisiam f l u m e n secunda navigatione pervehitur*, Ann. II, 23, 3 *plures Caesar — per f l u m e n Amisiam Oceano invexit;* nam Ann. I, 63, 10 probabile est inter voces *Amisiam* et *exercitu* vocabulum *amnem* illius ultima, huius prima syllabis haustum excidisse et etiam eo loco scribendum esse *mox reducto ad Amisiam* **amnem** *exercitu legiones classe, ut advexerat, reportat.* Haud paucum scriptura

ipsius libri Medicei praesidio est; in illo enim, ut modo indicavimus, inest *amissi am*, quod sequentis vocabuli *amnis* vestigium iam continet.

II) de vocabulis *laevo ore erratumque:* vocabulum *amnem* deleto vocabulo *ore* falso huc ex iis quae subsequuntur et de quibus infra dicetur transpositum esse statuo; facillime autem factum est, ut vocabulum *ore* iis duobus, inter quae interpositum est, vocabulis exhaustum sit, quippe quorum aliud in litteram *o* desinat, aliud litteris *er* initium capiat. Vocabulum *os* de amni dictum velut his locis apud Tacitum invenitur: Ann. I, 79, 11 *optume rebus mortalium consuluisse naturam, quae sua ora fluminibus, suos cursus utque originem, ita fines dederit*, Ann. II, 5, 15 *per ora et alveos fluminum*, Ann. II, 60, 6 *proximum amnis os dicatum Herculi.* De vitio codicis has scripturas libri Medicei comparaverim: Ann. I, 19, 2 *eiusque* habet Med., *eius usque* emendaverunt Bezzenberger et Weissenborn, Ann. VI, 25 (al. 19), 3 *aurariasque* habet Med., *aurarias argentariasque* em. Weissenborn.

III) de vocabulis *subvexit transque amnem exposuit: Subvehendi* verbo usus est Tacitus praeter eum de quo agimus locum etiam Ann. XIII, 53, 9 *Rhodano et Arare subvectae*, cf. Ann. XV, 43, 11 *naves, quae frumentum Tiberi subvectavissent. Transponendi* autem verbum ea quae hoc loco probabatur sententia dictum novum atque inauditum est; id si dicere volunt, verbis *traducere, traicere, tramittere, transportare* aut simili scriptores utuntur, nusquam verbo *transponere. Transponere* enim proprie est aliquid alio in loco ponere atque qui rei illi aut debetur aut sollennis est: itaque de plantis potissimum dicto ei nostrum *aussetzen* respondet, de exercitu

autem usurpatum tantum valet quantum nostro sermone *versetzen, verlegen;* v. Gell. N. A. IV, 5, 3 *Illam statuam suaserunt in inferiorem locum transponi*, ibd. VII (VI), 9, 1 *Locum istum totum huc ex Pisonis annali transposuimus*, Plin. epp. X, 69, 2 *Erit facile per illam brevissimam terram advecta fossa onera transponere in flumen*, Iust. XXIII, 3, 7 sq. *instantibus hinc Carthaginiensibus, inde Romanis periculosum (Pyrrho) videbatur exercitum in Italiam non traicere, periculosius a Sicilia deducere: ne aut illi non lata ope aut hi deserti amitterentur. In hoc aestu periculorum tutissimus portus consiliorum visus est omnibus viribus decernere in Sicilia et profligatis Carthaginiensibus victorem exercitum transponere in Italiam.* Du-Cangius in Glossario mediae et infimae latinitatis s. v. *transponere* significationem *traiciendi*, de qua modo diximus, non indicavit. Ne in recentioribus quidem linguis eis, in quas *transponendi* verbum quocunque modo mutatum transiit, traiciendi significationem continet neque italice *trapporre*[1]) neque hispanice *trasponér*[1]) neque lusitanice *transpôr*[1]) neque francogallice denique *transposer*[1]) et inde anglice *to transpose*[1]); quae vocabula omnia ex ipsa lingua latina orta esse Fridericus Diez[2]) docuit. Illis igitur de causis id, quod nusquam invenitur, ne in Tacito quidem statui posse censui, sed praeter naturam codicis Medicei et indolem eius, qui illum rescripsit, foret vocabulum *transposuit* prorsus e contextu eici. Itaque hoc modo verisimile est *transposuit* vocabulum ortum esse, ut inter *trans* et *posuit*, eius partes, vocabula quaedam inter-

[1]) v. lexica.

[2]) Etymologisches wörterbuch der romanischen sprachen. I. Bonn 1861. s. v. *pausare.*

fuerint postea nescio qua ratione exstincta. In lacuna explenda consilium rei in qua narrata versantur, sententiam loci de quo agimus, usum denique optimorum de rebus militaribus auctorum secutus sum: *exponere* enim vocabulum proprie dicitur ea de re, quam Tacitus hoc loco intellegit, cf. Caes. B. C. III, 6, 3 *omnibus navibus ad unam incolumibus milites exposuit*, Iust. XXII, 5, 2 *exposito in Africae litore exercitu.* Vocabulum *amnē*[1]), quod in libro Mediceo inter vocabula *laevo* et *erratum* est, ab ipso scriptore illo, quo lacunam detexi, loco scriptum fuisse conicio; quis vero tale quid pro certo affirmaverit? Addo denique hoc unum considerandum, nonne Tacito ablativus casus hac potius forma *laevo amni* quam illa *laevo amne* dicendus fuerit?

Longum et e re esse duco omnes omnium editorum, quorum alius aliam sententiam protulit aut interpositis aut seclusis aut alio modo distinctis vocabulis, coniecturas proferre. Satis habeo eos nominare qui in diurnis philologicis hunc locum tractarunt: novissime fecit Ritterus[2]), qui legit: *Classis Amisiae in lacu relicta, laevo amne, erratumque in eo quod non subvexit aut transposuit militem.* Ante eum proposuerant Standerus[3]) *subvexit et transposuit*, Carolus Schenkl[4]) *subvexit ac transposuit*, Mauricius Seyffert[5]) *classis Amisiae ore relicta*

---

[1]) de compendii nota v. Ritterum in praef. p. XXXV. med.

[2]) Rhein. Mus. XVII (1862) p. 105. Nunc etiam in ed. Lips. recepit.

[3]) Zeitschrift für die alterthumswissenschaft. XIII (1855) N. 38 p. 303.

[4]) Zeitschrift für die oesterreichischen gymnasien. XI (1860) p. 411 sq.

[5]) Miscellanea critica in *Zeitschrift für das gymnasialwesen.* XV (1861) p. 303.

laevo amne; erratumque in eo, quod non subvexit et transposuit.

De una scriptura a Wurmio[1]) proposita multum a viris doctis laudata fusius paulum disserendum est, quippe quae usum Taciti tangat haud plane ab illo perspectum: inter verba *subvexit* et *transposuit* Wurmius illud *aut* intulit quasi negationis antecedentis vim persequens, quo de usu Madvigius[2]) et Handius[3]) dixerunt. Sed iam diu idem Handius[4]) et Philippus Wagner[5]) exemplis probarunt etiam *et*, *ac*, *que* coniunctionibus in alteram sententiae partem negationem apud optimos scriptores traduci solere. De Tacito autem haec exempla collegi: Agr. c. 45 in. *non vidit Agricola obsessam curiam et clausum armis senatum et eadem strage tot consularium caedes, tot nobilissimarum feminarum exilia et fugas*, Ann. VI, 45 (al. 39) in. *nec dispares Trebellieni Rufi et Sextii Paconiani exitus*, Agr. c. 3 extr. *non tamen pigebit vel incondita ac rudi voce memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum composuisse*, ibd. c. 3, v. 4 *quamquam nec spem modo ac votum securitas publica sed ipsius voti fiduciam ac robur adsumserit*, Hist. III, 52, 16 *effecerat, ut non pro spe Antonii consilia factaque eius aestimarentur*, Agr. c. 42, v. 18 *quia non contumacia neque inani iactatione libertatis famam fatumque provocabat*, cf. illud in Ann. l. I. c. 1 extr. *sine ira et studio*. Etiam illo de quo agimus loco verbum *subvexit* cum subsequente verbo artissime coniunctum, non ab eo dis-

---

[1]) v. commentarium criticum Halmianum ad h. l.
[2]) v. Gramm. Lat. ed. Germ. III a. 1857 § 458 c. adn. 2.
[3]) v. Handii Turs. v. IV p. 139.
[4]) v. ibd. v. II. p. 536.
[5]) v. quaestt. Virg. XXXVI praec. sectt. [8]) et [10]).

iunctum a Tacito et cogitatum et dictum fuisse, hac re perspicitur, quod *erratumque in e o*, non *erratumque in e i s* praepositum est. Ut comparatione aliunde sumpta utar, illa *non — et*, *non — ac*, *non — que* cum formula hac mathematices $a - (b + c)$ contulerim, quae, quamquam alia ratione cogitata est, idem valet quod $a - b - c$.

Ann. l. II. c. 33.

Locus, de quo proxime agetur, inter plurime tractatos est, neque vero adhuc recte emendatus, quamquam admodum simplici ratione restitui potest, quae quod a nemine iam perspecta sit valde mirandum. Et narratur ibi de senatus consultatione quadam de luxu civitatis artis finibus circumscribendo; contra quod Gallus Asinius disseruit. Eius orationis partem liber Mediceus sic exhibet:

> *distinctos senatus et equitem census, non quia diversi natura, s e d u t l o c i s ordinibus dignationibus a n t i s t e n t. T a l i s quae ad requiem animi aut salubritatem corporum parentur.*

Eum locum Grotii coniectura *et aliis* pro vocabulo Medicei *Talis* usus hoc modo emendo:

> *distinctos senatus et equitum census, non quia diversi natura, s e d u t,* **diversi** *l o c i s ordinibus dignationibus, antistent e t a l i i s, quae ad requiem animi aut salubritatem corporum parentur.*

Nihil igitur mutatum nisi quod *diversi* vocabulum repetitum est, quod propter unum idemque proxime antecedens excidisse valde probabile est. Inter *locos*, *ordines*, *dignationes* vocabula hoc interesse videtur, ut primum de locis in theatro ac circo discretis, alterum de nomine

senatorio, tertium de splendore atque auctoritate cum nomine illo coniunctis dictum sit: cf. Ann. XV, 32, 2 *equitum Romanorum locos sedilibus plebis anteposuit apud circum* et Ann. XII, 52, 11 *ordine senatorio*, Ann. XV, 49, 11 idemque Agr. 4, 4 *senatorii ordinis*, Ann. XV, 54, 1 *diversi generis ordinis, aetatis sexus* et Ann. III, 75, 7 *consulatum ei adceleraverat Augustus, ut Labeonem Antistium isdem artibus praecellentem dignatione eius magistratus anteiret*, Ann. IV, 16, 16 *ut glisceret dignatio sacerdotum atque ipsis promptior animus foret ad capessendas caerimonias, decretum Corneliae virgini — sestertium viciens*, Ann. IV, 52, 4 *is recens praetura, modicus dignationis et quoquo facinore properus clarescere*, Germ. c. 13, v. 7 *insignis nobilitas aut magna patrum merita principis dignationem etiam adulescentulis adsignant*, Germ. c. 26, v. 4 *agri pro numero cultorum ab universis in vices occupantur, quos mox inter se secundum dignationem partiuntur.* Eodem usu, quo loco, de quo nunc agitur, *non quia — sed ut* opposita sunt, hoc alio Ann. XIV, 43, 4 *non quia — sed ne* usurpata inveniuntur: *neque sum adversatus, non quia dubitarem, super omnibus negotiis melius atque rectius olim provisum et quae converterentur in deterius mutari, sed ne nimio amore antiqui moris studium meum extollere viderer.* Senatorii autem ordinis obtinendi quasi condicionem magnam rem familiarem illa aetate fuisse pluribus locis Tacitus perlucide indicavit: v. Ann. I, 75, 10 *Propertio Celeri praetorio, veniam ordinis ob paupertatem petenti, deciens sestertium largitus est*, Ann. XII, 52, 10 *laudati dehinc oratione principis qui ob angustias familiares ordine senatorio sponte cederent, motique qui remanendo inpu-*

dentiam paupertati adicerent, Ann. II, 48, 11 *prodigos et ob flagitia egentes — movit senatu aut sponte cedere passus est.* De equitibus v. Ann. IV, 6, 11 *frumenta et pecuniae vectigales, cetera publicorum fructuum societatibus equitum Romanorum agitabantur*, Hist. I, 11, 1 *Aegyptum copiasque quibus coerceretur, iam inde a divo Augusto equites Romani obtinent loco regum.* Quaenam vero sententia conexui totius loci aptior est quam illa quae in verborum forma a nobis supra data inest? Interpretatione hac addita etiam magis perspiciatur: *Senatoren und ritter — sagte Gallus Asinius — müszten reiche leute sein, nicht etwa weil (nicht als ob) sie ganz besondere (von den andern ihrer natur nach durchaus verschiedene) menschen seien, sondern damit sie, die im theater durch besondere plätze, durch rang und stellung von den übrigen geschieden seien, auch in alle dem sich auszeichneten, was zu den höheren geistigen genüszen und dem comfort des lebens gehöre.*

Restat, ut brevissime de varietatibus lectionum dicatur. Itaque scribunt: Bipontini et Ruperti: *non, quia diversi natura, sed ut locis, ordinibus, dignationibus antistent, talesque ad requiem animi aut salubritatem corporum parentur.*

Ernesti: eodem modo, excepto *taliaque.* Haasius: *non quia diversi natura, sed ut locis, ordinibus, dignationibus antistent et aliis quae e. q. s.;* in praefatione[1]) e coniectura adiecit: *sed ut et locis, ordinibus, dignationibus antistent et aliis e. q. s.*

Halmius, Baiterus, Ritterus Urlichsium[2]) secuti: *non quia diversi natura, sed ut, sicut locis or-*

[1]) p. LXX.
[2]) Rhein. Mus. VI. (1848) p. 636.

dinibus dignationibus antistent, ita iis quae e. q. s. In commentario critico[1]) proponit Halmius praeterea hanc lectionem: *sed quo, ut locis.*

Iulius Held[2]) proposuit *sed ut locis ordinibus dignationibus a u c t i antistent et aliis.* Lectionem libri Medicei defenderunt Ludovicus Doederlein[3]) ut per brachylogiam dictam et Bezzenberger[4]).

Ann. l. XV. c. 36.

In Ann. l. XV, c. 36 Haasius, Nipperdeyus, Ritterus, Halmius sic habent:

> *deseruit inceptum, cunctas sibi curas amore patriae leviores dictitans. vidisse maestos civium vultus, audire secretas quaerimonias, quod tantum i t i n e r i s aditurus esset, cuius ne modicos quidem egressus tolerarent, sueti adversum fortuita aspectu principis refoveri.*

Vocabulum *itineris* deest in libro Mediceo; primus addidit Heinsius, sed post verbum *esset;* quo nunc est, posuit Nipperdeyus[5]). Contulerunt illi eiusdem libri c. 30, v. 6 *spatium oravit, quo t a n t u m i t i n e r i s aditurus fratres ante matremque viseret;* addo ego hoc ex Agricola (c. 33 v. 19) sumptum *ut superasse t a n t u m i t i n e r i s, silvas evasisse, transisse aestuaria pulchrum ac decorum in frontem, ita fugientibus periculosissima quae hodie prosperrima sunt.* Bipontini et Ernesti habent

---

[1]) ad h. l.

[2]) Annotationes ad locos quosdam C. Cornelii Taciti annalium difficiliores. Suidnicii 1851 p. 4 sqq.

[3]) Reden und aufsätze. v. II. p. 176.

[4]) v. commentarium criticum Halmianum ad h. l.

[5]) v. Nipperdeyi edit. v. II. p. 295 et adnotationem criticam Ritteri in edit. Lips. ad h. l.

quod tantum aditurus esset iter, Rupertius et Baiterus *quod tantum iter aditurus esset.* Nescio nonne lacuna graphice facilius, aptissime vero ad totius loci sententiam hac scriptura *quod tantum* **quid** *aditurus esset* expleta foret. Quam meam inter lectionem et alias illas, de quibus modo dixi, hoc paululum interest in iis quae subsequuntur, quod, si mea utaris, sententiae et inter legendum vocis vis in duo vocabula *modicos egressus* et maxime in hoc *egressus* inferenda est, sin aliis utaris, in unum vocabulum *modicos.* De vitio codicis haec exempla et praesto et praesidio mihi sunt: Ann. XVI, 19, 9 *ut quam coacta mors* habet Med., *ut quamquam coacta mors* emendavit Rhenanus; Ann. III, 54, 13 *quia sibique moderabatur* Med., *quia sibi quisque moderabatur* Beroaldus; Ann. III, 21, 6 *amplius quam genti* Med., amplius *quam quingenti* Weissenbornius; Ann. IV, 74, 18 *idque* Med., *id quoque* Muretus; Ann. XI, 7, 12 *qui et a* Med., *qui quieta* Halmius; Ann. XV, 72, 9 *quia* Med., *qui quia* Weissenborn, *de quo quia* alii.

Iam vero unum etiam nunc loco deest, quod miror a nemine editorum adhuc animadversum esse, scilicet subiectum. Habebit bis interposito pronomine *se*, primum post verbum *vidisse*, iterum ante vocabulum *secretos.*

Itaque totum locum sic a Tacito scriptum fuisse conicio:

> *deseruit inceptum, cunctas sibi curas amore patriae leviores dictitans. vidisse* **se** *maestos civium vultus, audire* **se** *secretas quaerimonias, quod tantum* **quid** *aditurus esset, cuius ne modicos quidem egressus tolerarent, sueti adversum fortuita aspectu principis refoveri.*

Hist. l. III. c. 83.

Locus Hist. l. III, c. 83 in codice Mediceo sic est:

conflixerant ante armati exercitus in urbe, bis Lucio Sulla, semel Cinna victoribus.

Nomini gentilicio *Cinna* praenomen *L.* admodum probabiliter Franciscus Ritter addidit[1]). Praeterea *conflixerant et ante* priore tempore idem emendaverat[2]) collatis locis hisce[2]): Hist. III, 72, 6 *arserat et ante Capitolium civili bello,* Hist. III, 51, 7 *ceterum et prioribus civium bellis par scelus inciderat,* quibus etiam hic addi potuit: Ann. II, 87, 4 *neque tamen ob ea parentis patriae delatum et antea vocabulum adsumsit.* Et secuti sunt Ritterum in addendo vocabulo *et* Haasius et Halmius. Ego quidem accepto altero, quod addidit Ritterus, sic expleverim:

conflixerant **iam** *ante armati exercitus in urbe, bis Lucio Sulla, semel L. Cinna victoribus.*

Ab optimis scriptoribus *iam ante* illud coniunctum dici Handius[3]) exemplis probavit. E Tacito haec de usu vocabuli *iam* collegi[4]): *iam pridem* est in Hist. III, 10, 7. I, 12, 6. 16, 3. 23, 2. 52, 24. 90, 4. II, 38, 1. 43, 10. 56, 10. IV, 18, 10. V, 14, 6. Ann. IV, 40, 21. XII, 54, 2. Germ. c. 13, v. 9. Agr. c. 14, v. 6. Dial. c. 4, v. 7. cf. Hist. II, 23, 9 *inter Veronam Cremonamque situs est vicus, duabus iam Romanis cladibus notus infaustusque,* Hist. I, 11, 1 *Aegyptum copiasque, quibus coerceretur, iam inde a divo Augusto equites Romani obtinent loco regum,*

---

[1]) v. Philol. XXII. (1865) p. 657. sq.

[2]) v. commentarium criticum Halmianum ad h. l.

[3]) v. Handii Tursellinum v. I. p. 378.

[4]) versuum numeri sunt, ut et alibi ubique, exempli Halmiani.

Ann. IV, 6, 4 *iam primum publica negotia et privatorum maxima apud patres tractabantur.* Voculam *iam* in libro scripto compendii nota sic fere *iã* vel *iā* expressam praecedentibus litteris *ant*, sequentibus *an* haustam facile (facilius fortasse quam *et*) ut periret, fieri potuisse nemo negabit. At paululum quid interest inter Ritteri et meam explendae lacunae condiciones, id quod interpretando optime illustrare posse mihi videor. Ritteri enim *et ante* interpretandum est **auch** *schon früher*, meum *iam ante* nihil est nisi *schon früher;* exempla quae supra de usu inter se coniunctorum vocabulorum *et ante* et *iam pridem* similiumque collegi, ita esse, ni fallor, docent.

Glossas vel glossemata medium inter contextum interposita verba ab ipsis scriptoribus non orta appellare ei qui nunc sunt philologi in consueto habent. Maximam partem glossae in vetere quodam libro aut inter lineas aut in margine adscriptae erant eo consilio, ut vocabulum quoddam aut ipsum inusitatum vel praeter usum sollennem cogitatum ad commune omnium cogitandi dicendique genus revocarent aut brevius dictum additamento explicarent aut arti denique cuidam proprium apposito, quidnam illud esset, interpretarentur. Et inveniuntur apud Tacitum certa exempla trium illorum generum, quorum singula afferri non alienum a re videtur: Hist. III, 50 vocabula *donativi nomen est* glossae loco haud dubie ad vocem *clavarium* apposita esse Castalio et Ernesti intellexerunt; Ann. XV, 38, ubi est *fessa aut rudis aetas* prius adiectivorum duorum additamento *aetate,* posterius autem addito *pueritiae* sinistre explicata sunt; Hist. III, 20 post vocabulum *vineis* est in Mediceo

glossa *machinamenti genus ad expugnandos muros factum*, quam Puteolanus delevit glossam. Quae cum ita essent, accidit haud raro, ut rescriptor quidam talis libri adnotationibus vel interlinearibus vel marginalibus, quae dicuntur, instructi glossas inter ipsa scriptoris verba interponeret. Liquet hoc usu venisse maxime in eis scriptoribus, qui idem maxime lecti erant, minime usu venisse in minime lectis. Tacitum autem cum constet admodum raro cum lectum tum scriptum esse ea de causa minime verisimile est, ut multis locis glossis depravatus sit. Attamen nostra aetate primus Franciscus Ritter de „ingenti segete glossarum“ [1]), quae in Taciti scripta invecta sit, sententiam protulit [2]) et, etiamsi non omnibus locis viri docti eum secuti sunt, latius tamen prae prioribus novissimi editores, haud dubie Ritteri exemplo tracti, huic mendorum speciei spatium dederunt [3]). Maxima potius hac in re diligentia et moderantia opus esse mihi persuasum est, ne falsa de Taciti scriptoris ingenio ac de

---

[1]) verba sunt Ritteri; v. ed. Lips. p. XXXV extr.

[2]) disputavit de glossis Ritterus his locis: quas censet inesse in Historiis, Philol. XXI (1864) p. 608—632; in Annalibus, Philol. IV (1849) p. 681—700, XIX (1862) p. 267—281, Mus. Rhen. N. S. XVII (1862) p. 122—128; in Agricola, Mus. Rhen. XX (1865) p. 520—524; in Germania, ibd. p. 195—208.

[3]) Quam ipse Ritterus in editionibus suis statuendis in glossis progressus sit, numerorum haec inter se comparatio doceat (v. Philol. IV p. 682 et ed. Lips. p. XXVII). Statuit enim glossas inesse.

	in ed. a. 1849.	in ed. a. a. 1864.
in Hist.	24	59
in Ann.	36	53
in Agr.	5	7
in Germ.	5	14
in Dial.	2	8
quae sunt summae	**72**	et **141**

naturâ librorum scriptorum opinione inducti ipsos libros Tacitinos perverse tractemus; nam cum sine ulla dubitatione constet in magna rerum et cogitationum copia forma plerumque uti Tacitum brevissima, ut haud raro obscuritatis speciem prae se ferant habeantque eius verba: non tamen est, quod omnia, quae modo deleri possunt, delere nobis liceat et ipsi nos in omnes ad unum locos obscuritatem illam hoc modo inferamus. „Errores in eo negotio — de glossis segregandis recte est apud Ritterum[1]) — facillime et creberrime gignuntur, si modus non adhibetur ac iusta ratio non observatur.“

His in universum disputatis in eis, quae sequuntur locus e

Dial. c. 9

desumptus tractabitur. Ibi enim sic est in codicibus omnibus et, quot cognovi, editionibus:

> *adice quod poetis, si modo dignum aliquid elaborare et efficere velint, relinquenda conversatio amicorum et iucunditas urbis, deserenda cetera officia et, ut ipsi dicunt, in nemora et lucos, id est in solitudinem secedendum est.*

Quem locum cum in perficiendo hoc opusculo iam ante ab Adolpho Aenotheo Lange[2]) eadem quam ego intellego glossa corruptum indicatum esse vidissem, atta-

[1]) vide ed. Lips. p. XXVI adn. 2.

[2]) in commentatione illa, quae inscribitur: „Dialogus de oratoribus Tacito vindicatus“ et quae inest in „Dr. Adolph Gottlob Lange's vermischte schriften und reden“ (ed. Jacob Lips. 1832 p. 1—14). Leguntur ibi p. 7 adn. 5 haec: „Quoties in haec verba incidi, toties mihi de glossemate, quod vel explicandi ista formula prodit, fuere suspecta.“

men tractandi eius consilium mansit; nam unum quod addidit ille argumentum nihil aut certe non satis valet: nam ut dictum aliquid formulâ illa *id est* ab ipso auctore explicetur, cur fieri omnino non possit, nemo intellegit. Sed haec res est: formula illa his duobus modis usurpari solet, ut aut e maiore quadam in minorem illa inclusam notionem logica deductione progressus fiat (nostro sermone *also auch*) aut barbarum quoddam vocabulum latine scriptor interpretetur; exempla haec duo sufficiant: Cic. Tusc. dispp. l. III, c. 13, § 27 *Hoc tu igitur censes sapienti accidere posse, ut aegritudine opprimatur, id est miseria?* et c. 27, § 65 *Quid ille Terentianus Ipse se poeniens, id est Ἑαυτὸν τιμωρούμενος?* (nostro sermone: *so heiszt ja auf latein der Ἑ. τ.*) Neutrum cadit in locum illum Dialogi. Accedit, quod auctor Dialogi his verbis *ut ipsi dicunt* poetice altiusque se locuturum esse ipse indicat; illud *id est in solitudinem* vero nihil certe prae se fert poeticae dictionis, sed breviarii potius confectori per humum ingenio stiloque repenti quam poetae cuiquam aut rhetori poetice loquenti aptum est. Compara alios hos locos Taciti: Germ. c. 9, v. 8 *lucos ac nemora consecrant*, ibd. c. 10, v. 12 *publice aluntur (equi) isdem nemoribus ac lucis, candidi et nullo mortali opere contacti*, ibd. c. 45, v. 22 *fecundiora igitur nemora lucosque, sicut orientis secretis, ubi tura balsamaque sudantur, ita occidentis insulis terrisque inesse crediderim*, Hist. IV, 22, 12 *depromptae silvis lucisque ferarum imagines*, et hunc locum Plinii in epistula ad Tacitum scripta[1]): *itaque peomata quiescunt, quae tu inter nemora lucosque commodissime perfici putas.* Et

---

[1]) epp. IX, 10.

videtur quidem illud *luci ac nemora* (et quae similiter dicta inveniuntur) a poeta quodam primum ortum in societatibus litteratorum illa aetate hominum facete dicti loco divulgatum inde quasi in proverbium dicentibus scribentibusque cessisse ut item nostrorum poetarum optimorum sententiae haud paucae. Indico praeter illa praepositionem *in* repetitam *in nemora et lucos, id est* **in** *solitudinem*, qua repetita perspicue apparet vocabula illa primum in margine addita a rescriptore demum quodam in ipsum verborum contextum interposita esse. Vera igitur loci forma haec statuenda est:

> *adice quod poetis, si modo dignum aliquid elaborare et efficere velint, relinquenda conversatio amicorum et iucunditas urbis, deserenda cetera officia et, ut ipsi dicunt, in nemora et lucos secedendum est.*

Distinguere certis quibusdam notis praeter punctum, quod dicitur, verba scriptorum librorum neque veteres neque medii aevi librarii in more habebant. Quo factum est, ut, cum saeculo p. Ch. n. quinto decimo et ineunte sexto decimo plurimi Graecorum et Romanorum scriptorum ex latebris non sine diligentia prompti ederentur, totum interpungendi munus fierit eorum, qui editiones curabant. Quibus viris cum hoc unum propositum esset, ut libri qualescunque in publicum prodirent, in munere illo perficiendo eadem ratione usi sunt qua in orthographia observanda: nulla, opinor. Atque in orthographia quidem scriptos solos libros eos secuti esse haud ita multum improbandi sunt: nam cum tangunt de ilia quaestiunculae ipsa intima philologiae tum aetati illi ea quae ad id desiderantur studiorum fundamenta

ac disciplina deerant; orthographiae subtilitates legesque detegere posteriori memoriae reservatum fuit. Multo magis propter incuriam rectae distinctionis vituperandi sunt: ad id enim negotium neque antiquitatis fide neque librariorum traditione opus est, sed nulla re nisi sana mente. Distinguendi notae autem hoc modo videntur esse, ut verum verborum contextum vel maxime implicatum ad sententiam dilucide et oculis legentium perspicue seiungant coniungantque. Id certe simplex neque difficile esse apparet. Attamen (et, credo, propter id ipsum, doctrina difficultates venari consueta) illa pars munerum, quae sunt editoris cuiusque, etiam nunc neglecta iacet; nam, cum in aliis multis, quae priores cura superflua et propter id ipsum minus perspicua tractabant, ad simplicem quandam elegantiam nostra aetas redierit, distinguendi notarum recte ponendarum editores librorum veterum rationem habent fere nullam, nedum per totam suam curam certo quodam consilio utantur. Et magno sane casu (salva quae nostrae genti redundavit inde redundabitque gloria) factum est, ut viri docti, qui nostra aetate veterum libros edendos fere curant, natione sint Germani, quippe quae gens ne ipsius sua quidem lingua in distinguendis libris scriptis norma certa utatur, cum aliae notiones — Francogallicos, Anglicos, Italos, Hispanos intellego — tunc quidem sibi habeant regulas tam firme constitutas, ut in grammaticis eadem qua declinationes vel coniugationes exponantur subtilitate. Attamen multa iam constat ad veram multorum locorum sententiam proferendam ita effici posse. Quae cum de aliis scriptoribus tum de Tacito vere contendi his exemplis, quae nullo negotio magno numero ipse augere possis, probari nobis videmur: Ann. l. I. c. 7, c. 8, l. IV, c. 15.

Ann. l. I. c. 7.

Initium capitis huius editiones sic distinctum habent:

At Romae ruere in servitium consules, patres, eques. quanto quis inlustrior, tanto magis falsi ac festinantes, vultuque composito, ne laeti excessu principis neu tristiores primordio, lacrimas gaudium, questus adulationem miscebant.

Ego quidem hoc alio modo distinxerim:

At Romae ruere in servitium consules, patres, eques: quanto quis inlustrior, tanto magis falsi ac festinantes. Vultuque composito, ne laeti excessu principis neu tristiores primordio, lacrimas gaudium, questus adulationem miscebant.

Etiam hoc loco eorundem Annalium illud *quanto — tanto* ad ea quae proxime antecedunt annexum est: Ann. IV, 67, 15 *tum Tiberius duodecim villarum nominibus et molibus insederat, quanto itentus olim ad publicas curas, tanto occultiores in luxus et malum otium resolutus*, cf. Hist. II, 99, 8 *inpatiens solis pulveris tempestatum, quantumque hebes ad sustinendum laborem miles, tanto ad discordias promptior.* Verba illa sic iam a Süvernio[1]) allata esse in legendis perlustrandisque, quot eorum, qui de Tacito sunt, librorum loci, quo scribebam, opportunitate habere potui, vidi *At Romae ruere in servitium consules, patres, eques, quanto quis inlustrior tanto magis falsi et fastinantes.* Sed neque cogitate, credo, illud is fecit neque editorum quot cognovi quisquam animum id aevertit; ex collectaneis potius leviter raptimque chartis mandatis locum a Süvernio transcriptum esse, etiam inde collegi posse mihi videtur, quod inter

---

[1]) Ueber den kunstcharacter des Tacitus. Berlin 1822—23 p. 93. adn. 4.

vocabula *falsi* et *festinantes* vocem *et* interposuit, quam neque liber Mediceus neque editiones habent: in eis enim inest *ac*. Itaque in proponendae alius illius interpungendi rationis consilio perstiti.

Ann. l. I. c. 8 in.

editiones sic distinctum habent:

> *Nihil primo senatus die agi passus est nisi de supremis Augusti, cuius testamentum inlatum per virgines Vestae Tiberium et Liviam heredes habuit. Livia in familiam Iuliam nomenque Augustum adsumebatur; in spem secundam nepotes pronepotesque, tertio gradu primores civitatis scripserat, plerosque invisos sibi, sed iactantia gloriaque ad posteros. legata non ultra civilem modum, nisi quod e. q. s.*

Mihi quidem hac alia ratione distinguendum esse persuasum est:

> *Nihil primo senatus die agi passus est nisi de supremis Augusti: cuius testamentum inlatum per virgines Vestae Tiberium et Liviam heredes habuit (Livia in familiam Iuliam nomenque Augustum adsumebatur; in spem — posteros), legata non ultra civilem modum, nisi quod e. q. s.*

Testamentum enim unum quodque heredis potissimum institutionem ut haberet, ius Romanorum volebat; quam heredis institutionem minora alia et inter ea legata potissimum primumque sequebantur, cf. Ulpiani frgm. tit. XXIV §. 15[1]) *ante heredis institutionem legari non potest, quoniam vis et potestas testamenti ab heredis in-*

[1]) Domitii Ulpiani quae vocant fragmenta ed. IV Böcking. Lips. 1855.

stitutione incipit et Reinii de iure Romanorum privato librum[1]) p. 377 *der wesentliche inhalt des testaments ist die ernennung eines erben* et p. 379 *zu dem unwesentlichen inhalt des testaments gehört vor allen andern das legatum.* Duo illa igitur et iure inter se opposita sunt et, si ita ut proposui distinguitur, verbis Taciti, quem ipso Augusti testamento hoc loco usum esse verisimile est[2]). In alia vero ea quae vulgata est distinguendi ratione non heredes et legata, sed Tiberius Liviaque heredes et alii in spem secundam tertioque gradu scripti oppositi sunt. Id si voluit *heredes p r i m o s habuit* scribere Tacitum opportebat. Id quod non scripserit, Nipperdeyum nimirum offendit, quippe qui haec adnotaverit: *heredes heiszen einfach Tib. und Livia, obwohl sie, wie das folg. zeigt, heredes primi waren, weil auf sie als die wirklichen erben gerechnet war und sie als solche eintraten.* Distinguendi a me data ratione accusativum *legata* ab eodem quo *Tiberium et Liviam heredes* dependere (*habuit* verbum dico), subiecto substantivo *testamentum*, vix est quod addam.

Ann. l. IV. c. 15.

In Ann. l. IV. c. 15 editiones Haasii, Baiteri, Nipperdeyi, Ritteri, Halmii sic distinctum habent:

> *ita quamquam novo homini censorium funus, effigiem apud forum Augusti publica pecunia patres decrevere, apud quos etiam tum cuncta tractabantur, adeo ut e. q. s.*

---

[1]) Rein, das römische privatrecht und der civilprozesz. Leipzig 1836.

[2]) v. Boetticherum in Lexico Taciteo p. XXII.

Sic potius distinguendum est:

ita quamquam novo homini censorium funus, effigiem apud forum Augusti publica pecunia patres decrevere: apud quos etiam tnm cuncta tractabantur, adeo ut e. q. s.

nam Tacitus illud *apud quos etiam tum cuncta tractabantur* non relative ad ea, quae proxime antecedunt, annexa dixit, sed causam potius qua fieri potuit, ut etiam publicum honorem publica auctoritate senatus decreverit; quae haec erat, quod cuncta tunc apud patres tractabantur. Vis sententiae in vocabulo *cuncta* inest et *etiam* quidem non ad unum vocabulum *tum* pertinet, sed ad coniuncta illa *tum cuncta tractabantur.* Interpretandum igitur est: *denn bei ihnen wurde ja damals alles verhandelt* vel *bei ihnen nämlich* non *bei welchen* vel *bei ihnen aber.* Arte cohaeret locus cum his: Ann. IV, 6, 4 *iam primum publica negotia et privatorum maxima apud patres tractabantur* et Ann. l. I, c. 15 in. *tum primum e campo comitia ad patres translata sunt: nam ad eam diem, etsi potissima arbitrio principis, quaedam tamen studiis tribuum fiebant.*

INDEX

locorum emendatorum.

Taciti	Ann. l.	I.	c.	7		p. 48.
»	» »	I.	c.	8	p. 4.	p. 49.
»	» »	I.	c.	63		p. 31.
»	» »	I.	c.	68		p. 7.
»	» »	II.	c.	8		p. 30.
»	» »	II.	c.	9		p. 21.
»	» »	II.	c.	33		p. 36.
»	» »	III.	c.	38		p. 10.
»	» »	IV.	c.	11		p. 23.
»	» »	IV.	c.	15		p. 50.
»	» »	XI.	c.	23		p. 12.
»	» »	XV.	c.	36		p. 39.
»	Hist. l.	II.	c.	14		p. 14.
»	»	III.	c.	83		p. 41.
»	Germ.		c.	38		p. 17.
»	Dial.		c.	1		p. 25.
»	»		c.	9		p. 44.

VITA.

Georg Friedrich Thomae natus sum ipsis idibus decembribus anni h. s. XLII Francofurti ad Moenum, libera in urbe, patre Friderico Bernhardo mercatoria negotia ibi agente, matre Christiana e gente Glöckner; illum inter vivos adhuc esse magnopere gaudeo, hanc ex septem abhinc annis mortuam valde doleo. Parentes secutus evangelicae fidei Lutheranorum adscriptus sum. Primis quae sunt puerilis disciplinae elementis in privato quodam discendi ludo imbutus inde ab autumno anni h. s. LI per decem annorum et mensium sex spatium gymnasii Francofurtani disciplina usus sum, ubi post Voemelii autumno anni h. s. LIII de rectoratu discessum Classen et Fleckeisen studiis artium bonarum praeerant. Vere anni h. s. LXII maturitatis testimonium consecutus academicorum civium in numerum Universitatis Regiae Georgiae Augustae per duo semestria, per quattuor inde semestria Universitatis Litterarum Fridericiae Guilelmiae Rhenanae iuste legitimeque receptus fui. Itaque inter tres illos annos viros audivi hosce: Ernst Curtius, Iahn, von Leutsch, Ritschl (cuius eiusdem benevolentia factum est, ut per bis sex menses socius fuerim exercitationum epigraphicarum ab ipso privatissime institutarum), Sauppe, Wieseler, de antiquitatis studiis — Delius, Diez, Monnard de recentiorum linguarum et usu et litteris — Wilhelm Müller de prisco sermone germanico (cujus elementa, cum iam domi essem, Franz Roth antea me docuerat) — Brandis et Heinrich Ritter de philosophia — Springer de historia — Breidenstein de musica — Troschel denique de historia naturali. Tempus, quod inter ver anni huius saeculi LXV et eum quo haec scribebam diem interest, partim domi partim Bonnae degi privatus privatim in studiis doctrinae occupatus.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. *Inter scholam et ecclesiam et rem publicam haec intercedat necessitudo, ut scholarum omnium tota administratio unius rei publicae fiat, ecclesiae autem cum a schola tum a re publica prorsus seiunctae cura ab ipsa una ecclesia geratur.*
2. *Neque rationis neque aequitatis cum legibus convenit, ut certa una religionum quae sunt forma publica auctoritate ceteris anteferatur, nedum ad capessendos honores illam profiteri coactus sis.*
3. *Is qui ad historiae scribendae disciplinam sese contulit, ipse absit ab negotio publicarum rerum sua aetate gerendarum.*
4. *Modorum musicorum genus summum statuo eorum, qui ab ipso primordio ad proprium instrumentorum solum musicorum usum facti sunt (sermonis nostri consuetudine dixeris „die reine instrumentalmusik“), summam vero speciem symphoniam quam vocamus.*
5. *Ea quae doceris credere, imitari eos qui te docent te necesse est, antequam ipse peculiari tua ratione vere quid scire, vere novi quid fingere possis.*
6. *Historiae scribendae ars ita est optima ut studio carens non minus quam ira ψυχολογικώτατα sese habet.*
7. *Graece et latine scribendi facultas eo consilio nobis dissenda est et exercenda, ut veterum libros facilius meliusque intellegamus et in singulares tum Graecorum tum Romanorum cogitandi ac sentiendi rationes magis magisque intremus, non ut ipsi hac qua nunc sumus aetate vel graece vel latine libros scribamus.*
8. *Lingua francogallica est inter difficilimas ad discendum docendumque.*
9. *Ad pueriles animos instituendos ειϱιστικὴ ratio docendi maxime est accomodata.*